



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

vers. 5.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

ac pro accepto beneficio Christo agit gratias. Et quoniam huius fides eximie laudatur à Domino, vituperandi non sunt, qui præteritis sacerdotibus, Christo confitentur peccata sua, & huic solo omnem gloriam tribuunt. Nos vero nequaquam ex eo iudicio confessionem auricularem probamus; sed multi Catholicorum, comparatione ista, confessionis vsum exponunt. Quemadmodum enim veteri sacerdotio cognitio & iudicium de lepra commissum est, ita in Nouo Testamento, cum potestate ligandi, & solvendi cognitio lepræ spiritualis ad sacerdotes pertinet. Applicatio est à simili, non probatio contra contumaces. A Domino ergo in spiritalem lepram concessa est potestas. Ita Theodoretus lib. de sacrificiis. *ὁ περὶ τὴν λέπραν ὁ ἱερεὺς ἀποκατελείπει, οὕτω καὶ τῆς ψυχῆς ἀμαρτημάτων ἐναι κατὰ τὴν. Quemadmodum, (in lege Moysi scilicet) sacerdos lepram discernit, ita sacerdotem de peccatis oportet esse iudicem.*

Legi civilis
similis lex
Ecclesiastica.

Itaque iam olim visitatum erat confiteri, nec ex lege politica legem Ecclesiasticam statumus: Nam etsi illa lex de leprosis, ut magnam partem Ecclesiastica fuit, ita tota Ecclesiastica fuisset, non tamen inde conficeremus Ecclesiasticam novæ legis. Sed siue politica, siue Ecclesiastica, siue mista fuerit, similitudine potestatis inde ostendimus. Similitudo autem ex natura sua declarat, non probat, nisi aliunde auctoritatem capiat.

Sub nomi-
ne Mona-
chorum ve-
rustis male-
dicat.

§. 2. Ut vero intelligat, quam atrociter vitis sanctis nomine Monachorum maledicat. Pauca veterum citabo, ut videat, quorum causam oppugnet. Cyprian. Sermon. 5. de lapsis. Augustinus. cap. 4. de vera & falsa poenitentia. Cyrillus Alexandrinus lib. 17. in Ioan. cap. 5. Athanasius. hom. 17. in castellum. Chrysostomus. hom. de ieiunio. Hermias lib. 1. de historia Ecclesiastica. Clemens Romanus. constit. Apost. libro 2. c. 84. *Τὰς ἐκείνους τὰς τῶν ἀμαρτιῶν ἀναγινώσκοντες ἡμεῖς, οἱ ἁγιοὶ & θεοὶ ῥῶς, καὶ θανάτου ἐξουσίαν ἐλάβομεν, ἐν τῷ δικάζειν τὰς ἀμαρτίας, καὶ λυτῶν ἀμαρτιῶν τὰς διὰ τὴν ὁρμήν. Sacerdotes qui vos peccatis soluerunt, à Deo vitæ & mortis acceperunt potestatem, dum iudicant peccatores, & absolunt conuersos. Tanta antiquitas est id quod calumnia Monachis, quod si inuentoribus intentat. Quanta est porro audacia in tanta luce vetustatis, & copia librorum, tam sine verecundia mentiri? Nos potius Grego ium Nazianzenum audiamus.*

Sacerdos
iudex de
peccatis.

*Χρηζόν δε παρὲς τὸν ἀνέστη ὁ ἁγὸς καὶ κατὰ τὸν ὅρον
ὁ πῶς τὸν ἀνέστη ὁ φῶς αἰὲν ἀεζαλὲν.
Cum pro morbis medici indigeas, non euades non euitabis exitiosam putredinem, si celaueris.
Iudicandum igitur est, ac proinde cognoscendum. Scitum est enim illud grauis Poetæ
Si iudicas, cognosce.*

Mo: bidam pecudem repellere iubentur sacerdotes, ne pars sincera trahatur. Vmbra nostræ potestatis est, quæ erat apud Iudæos. Num. 5. Eius leprosam de castris. Clemens 1. 2. cap. 37. constituit Apostolicus. *Καθὼς περ ἀργυρονόμοι παρὰ φάλα τῶν νομισμάτων δοκάζουσιν, τὰ ἃ δοκίμα οὐκ ἐν τῇ, ἔτω καὶ τὸν ἀπίστονον πᾶν μὲν ἀμάρτια κατεργεῖν, τὰ ἃ ὁπτιμωρεῖ ἢ ἀνακτῶς νοσῶντι δοκάζουσιν: id est, [ut argentarii adulterinos nummos excernunt, probos admittunt, ita Episcopum oportet, eos, qui labe carent, retinere, eos, qui vitiosi sunt, aut curare, aut si morbus immedicabilis est, abicere.]*

Atque ad calumniam ex huius scripturæ deprauatione contextam sufficiant.

VERSUS 5.

Cum autem introisset Capharnaum,
acceffit ad eum centurio, rogans

eum & dicens, Domine puer meus
iacet in domo paralyticus & male
torquetur.

QVÆSTIO I.

An centurio accefferit?

§. 1. Apparens pugna inter Euangelistas per S. Hieronymum, & Augustinum conciliata fuit. Apud Lucam per seniores Iudæorum accedit. Quod vero per amicos fecit, per se fecisse videtur. Nec improbabili esset eorum sententia, qui hunc, & illum cuius est mentio apud Lucam diuersos arbitrantur: etsi enim omnia patia quodammodo sunt: insubstantem tamen duos centuriones, quorum uterque habeat famulam paralyticum, utrumque humilem & piū, vsum eadem oratione; quin imo potuit vni exemplo alterius vsurpare eadem verba. Quia tamen eodem tempore & loco factum utrumque refertur, non iudico pro diuersis esse habendos, olim obiectum à multis testatur Augustinus lib. 33. contra Faustum. Illud potest sane & requiri inter fideles, & obici ab infidelibus solet, sed etiam ipsi vel parum eruditus, vel nimis contentiosus nisi admoniti respuerint, quod Matthæus dixit, acceffit ad eum centurio, rogans eum, & dicens. Lucas autem quod miserat ad eum seniores Iudæorum, hoc ipsum rogans de puero eius qui agrotabat, ut eum sanaret: Et cum appropinquaret domum, miserit alios per quos diceret, non esse dignum in cuius domum intraret Iesus, nec se ipsum dignum, ut veniret ad Iesum. Quomodo ergo secundum Matthæum, acceffit ad eum rogans & dicens, puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur? hoc ergo intelligitur Matthæum breviter sententiam ipsam plenam, integramque complexum, dicentem quod centurio acceffit ad Iesum, & non dicentem, per se ipsum illud dixit, non exprimentem utrum per se ipsum dixerit an per alios. Quid enim? nonne talibus locutionibus humana plena est consuetudo, cum dicimus aliquem ad aliquid multum acceffisse, etiam quem, nondum dicimus peruenisse? Nonne & ipsam peruenitionem, cui quasi videtur non esse quod addi iam possit, etiam per alios fieri vult ut ipse loquimur saepe dicendo. Egredere causam suam, peruenit ad iudicem, aut peruenit ad illum vel illum potentem; cum plerumque faciat per amicos non viso eo prorsus, ad quem quisque dicitur peruenisse? Vnde etiam tales homines quicunque ad potentium quodammodo inaccessibiles animos, siue per se ipsos, siue per alios ambitionis arte pertingunt, tam etiam vulgo peruenientes vocantur. Quid ergo, cum legimus, obliuiscimur quemadmodum loqui solamur? an scriptura Dei aliter nobiscum fuerat, quam nostro more locutura? Similia habet 1. b. 2. c. 20. de consensu Euangelistarum. S. Chrysostomus ab adulantibus Iudæis peruersam illi putat, ne iter, se Christum adducturos, non dubito, quin homini diuini potentique vultures illi adulati sint, causa tamen non veniendi fuit ipsius humilitas, credidero tamen audito Iesum ob hoc aduenire, obuiam iussisse honoris causa.

QVÆSTIO II.

Quis centurio?

§. 1. Græce habetur, *ἐστὶν ὃς αὐτὸς εἰς καπερναὺν ἐξῆλθεν ἐν αὐτῷ. Ingressus enim Capharnaum acceffit ipsum. Vbi repetitionem illam, quæ secundo loco ponitur αὐτῷ, Lucas Brugensis putat pleonasmum Hebræum esse, non autem legendum ἐστὶν ὃς αὐτὸς. Syrus habet: cum autem intrasset Iesus Capharnaum acceffit ad eum centurio. Non necessario Ethnicus centurio fuit, ut nonnulli sunt arbitrati: Nam in militiam Romanam Iudæi adsc. bebantur, quemadmodum & fuit.*

cetera gentes, ex quibus electus habebantur. Quod si Paulus erat ciuis Romanus, cur non Iudeus ilius, centurio? potuit igitur esse centurio, vel Iudeus, vel profelytus, quamuis ex vers. 10. & Luc. 7. 3. satis constare videtur, Iudeum non fuisse.

QVÆSTIO I.

An ex eo; quod Seniores pro centurione intercedunt, colligatur sanctos pro nobis intercedere?

S. 1. Primo certum est, centurionem rogantem seniores, ut causam suam apud Christum agerent, nec Deo, nec Christo contumeliam ullam intulisse; quasi vel contemneret, vel nimiam rudinis asperitatem veritus, ad seniores velut mitiores confugeret. Nam eadem omnia nobis pro inimicis orantibus orationesque fratrum petentibus obici possunt. Tu hominis vim intercessionem, deprecationem, patrociniū postulas, & necis Deum infinitis illo magis misericordem esse? an hominis peccatoris oratio peccatrix te adiuuare poterit? Hæc ergo, similiaque de precibus viuientium obici possunt. Deinde etiam de precibus angelorum pro nobis, nō ergo sunt obicienda de precibus sanctorum cum Christo regnantium quos contempnimus mortuos hæretici in peccatis suis mortui appellant.

S. 2. Si ergo viuentes pro viuētibz orant, orant igitur & in domino mortui, ideoque Domino viuētes. Possunt, quia Deum vident præsentem, & ab eo amantur. Volunt, quia nos diligunt. Caritatem enim beatitudo non minuit, sed auxit, hoc ipso quod tutam fecit.

S. 3. Antiquæ veritas si seculo multi hoc loco, sed in primis Tostanus opponit. [Male confunditur, inquit, status ille vitæ futuræ cum statu præsentē, & æternæ charitatis perpetuæ cum temporaria. In illa vita ut nullus est dolor aut gemitus, sed perpetua quies; nec ingemiscunt sancti, nec compatiuntur ut in his teris licet charitatis æternæ illa maneat quod nobis bene volunt, & optant nos secum colligi in illam beatitudinem; tot tamen feruntur ad Dei contemplationem, nem & laudem: nec vident angores nostros, nec occupati sunt sollicitudinibus, ut hic patres familias solati sunt de familiis: quæ sollicitudo & mutua consolatō & intercessio propria est huius vitæ, mandatumque habet in scriptura. Consulere autem mortuos prohibuit Esai. 5. 19. Nec Christus hoc loco aliquid dedit intercessionem Iudeorum, sed fidei potius centurionis.]

Respondeo. Non confundi à nobis beatorum in æterna, & laborantium in temporaria vita statum. Nec sequitur eos, si non ingemiscunt, non compatiuntur, si non etiam nostram causam agere, manet & æternæ salutis efficacia, sine amantium dolore, & angore. Bene nobis volunt, hoc est amant, & caritatem suam oculis esse nolant. Toti feruntur in laudem Dei, eumque laudando contemplandoque pro fratribz deprecantur. Vident angores nostros, quando, & quot, & quantum Deus ostenderit, & audiunt quotidie à venientibus à nobis ad ipsos, & ab angelis ministris ac internunciis; norunt inquam nosstra aliqua, qui etiam impiorum tormenta & fumum ascendentem, in seculum seculi intuentur. Non sunt quidem solliciti, cura angente, & affligente, sed tamen caritate diligente bona nobis expolcunt.

S. 4. Porro in hoc Tostani discursu tot sunt hæreticæ, quot sententiæ. 1. statuit oportere esse in illis gemitum & dolorem, si intercedant; cum tamen & Christus interpellat, & angeli sine dolore. 2. Ad intercessionem arbitrat necessest, ne toti in contemplationem Dei ferantur, & laudem. Sic enim arguenda ut. Toti feruntur in contemplationem Dei & lau-

dem, non igitur pro nobis orant. Quod axioma hæreticum est: Consequitur enim nec Christum, nec angelos, dum ille mundum gubernat, hi seruiunt in salutem electorum, totos in contemplationem & laudem Dei ferri. 3. Existimat eos sine sollicitudine humanas res curare non posse, quod eodem modo de angelis diceretur. Quomodo consulere mortuos vetitum sit Isa. 8. 19. dicam suo loco. Christum aliquid tribuisse intercessionem Iudeorum verba declarant, cum ait, ego veniam, & curabo eum. Et quomodo illi definiunt nihil Iudeis illis tributum, cum id scriptura non negat, & ipsi se absque scriptura nihil asserere iacent? Habebat ille fidem, cui dedit hoc Christus, sed habebant & fidem deprecatores seniores: rogabant enim ut vellet, posse certo credebant. Maior erat fides centurionis, sed tamen etiam eos qui minore fide orabant exaudiat Christus. Nam paulo post in tempestate & dyaboli exauduit, fidem pro aliis aliquid impetrare omnes consentiunt; itaque si fidelis pro infideli beneficium impetrat, cur non & pro fideli? nec impedit fides eius cui aliquid impetrandum est, sed adiuuat, eoque magis quō maior est. Christiani pro Paulo orabant, atque eorum fidem suam fidei Paulinæ conferre, nedum præferre aude. et? Nam etiam infirma fides viua est.

S. 5. At nostra non norunt, inquit. Quid nunc de notitia sanctorum, quam de rebus nostris habent, sentiant aduersari, non est omnino certum. Matthæus Sciadus in appendice disceptationis Scholasticæ cum Conrado Vortio, ei obicit quod sentiat animas defunctorum cum corporibus obdormire. Rationem reddit; quia negat illos res nostras curare. In specie scilicet & distincte, ut habet disp. 3. de causa desert. Papatus thesi 15. Dubitat vero in defensione Vortius, an nobiscum Sciadus sentiat. Interim hanc sententiam Sciadus in Vortio exagitat & consequenter in Caluino lib. 3. inst. c. 20. §. 23. & 24. Arcio de sanctis in locis comm. Bullinger de origine errorum c. 15.

Hoc saltem hinc euincimus, sanctos generatim res nostras curare, ideoque generatim saltem orare pro rebus nostris. Nam curare res alterius, & non etiam ei proponere cuius in potestate sunt, non est eorum qui magna flagrant caritate.

VERSUS 6.

Et dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur. Et ait illi Iesus: Ego veniam & curabo eum.

QVÆSTIO I.

Quis morbus?

S. 1. **Παρηλυτικός**, paralyticus vocatur, & male dicitur torqueri. **δενός βασανίζεσθαι**, mihi igitur & subita fuit; nam ordinaria caret tormento: Galen. **παρηλυτικός ἐστὶ πάθος βλάβη τὴν κίνησιν**, **ἀρετὴν κίνησιν**, **πᾶσι μέρεσιν**, **ἢ ἐν μέρει** **πᾶσι** **τῶν δυνάμεων** **ἢ τῶν μενῶν**. Initium quidē solet esse cum tormento, sed sensim obstupeſcentibus nervis, dolor euānescit, motrix facultas impeditur tantummodo.

S. 2. Puerum vocat seruū, morbi grauitatem indicat verbo **βέβληται** proiectus est, sic & Socrum Petri ait **βέβληται** proiectam. Virgo sternitur & toto proiectus corpore terra. Noster eleganter vsus verbo iacendi; imperite reprehenditur, peius corrigitur. Verbum enim illud vsurpatur pro illis, qui abiecti sunt, & prostrati, sumptum à gladiatoribus, inde etiam iacere dicuntur, qui opibus aut dignitate deiecti, in luctu & squalore versantur. **Totus iacet**, inquit Tullius &c.

VER-

Matthæi
in
Evangelio
cvi
18